Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26482
Copyright: Admont, Benediktinerstift



11

potuimus. Modo uero speramus atque confidimus deo ueracitatem
ac tue sanctitati uenerande patrem. quia per te nobis dominus
fructum ferre concedet. Ad hec sanctus uir manus ad celum
leuauit. et per dimidiam ferre horam obnixius orauit.
Post hec manu sua accipiens oleum de lampade in
nomine sancte trinitatis eos signauit ac dimisit.
Dei autem opitulante misericordia. utrumque filium ad consignandum
ad dei famulum eodem anno detulerunt. Quem puerum
accipiens uir dei de sacro fonte suscepit. bene
dictione quoque aucti pater et mater eius cum gaudio ad
propria remearunt. Reuertentes autem simul letati sunt
et glorificabant deum. quia post tot annos filium
habere meruerunt. per intercessionem sanctissimi uiri nostri

ALIO VERO tempore colai.

Auir simul et uxor proficiscentes de alpibus
ad sanctum uirum uenerunt. afferentes ei aridam puellam
inter brachia. ac si mortuam. que nullo modo suis
membris poterat moueri. proiecerunt que eam ante pe
des eius. supplicantes simul et postulantes ita.
Ecce pater auxiliare filie nostre. que male totis